



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Aprilem, Majum, Junium

**Nepveu, François**


**Monachii, 1709**

Dies 17. De adversis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

Iunius



DIES XVII.  
De Adversis.

## I.

**C**Hristus Dominus cùm sit omnium hominum Pater, ante mortem testamentum suum condidit, & hæreditatem inter filios suos ipsemet partitus est. Sed, quod mireris, & malos voluptatum, & hujus vitæ gaudiorum: probos autem ærumnarum, afflictionum hæredes scripsit. *Mundus gaudebit; vos verò contristabimini.* Hæc est partitio, quam fecit Sapiencia æterna; ac proin nonnisi justissima esse potest. Pessimique boni aliquid agunt: nec ullum bonum, inquit Divus Augustinus, sub regno Dei infinitè justii sine remuneratione abibit. Itaque pro modico bono dantur præmia operi convenientia, nempe bona quædam temporalia, voluptates quædam caducæ. Hominum piorum nullus est, qui inter multa bona non etiam mali quid agat: levia hæc mala pænis levibus puniri merentur; magna autem bona, quæ agunt, bonis compensabuntur infinitis, bonis æternis, quid justius?

10an. 160

II. Ho.

II. Homines probi conquerendi causam Junius,  
non habent, etiam, quod ad hanc vitam at-  
tinet. Gaudium malorum sæpè non nisi  
apparens, vanum, & plerumque immun-  
dum, sempèrque brevissimum est. Non,  
nisi apparens est, quia non consistit, nisi  
in bonis falsis; quæ non rarò vera mala  
sunt. Vanum est, quia ejus fontes vani  
sunt, neque cor hominis satiare, neque ejus  
capacitatem quodammodo infinitam re-  
plere possunt. Purum non est, non so-  
lùm, quia multis semper molestijs permi-  
stum est; sed etiam, quia è peccato nasci-  
tur; quod, cùm homines non meliores,  
sed è contrario deteriores reddat, facere  
eos verè felices nequit. Semper breve est,  
quia cum eorum vita evanescit, in infelici-  
tatem sempiternam desitutum. ànne hoc  
gaudium invidiam, ànne nomen remunera-  
tionis meretur? an id homines felices  
reddere dici potest?

III. Contrà verò tristitia, & afflictio  
hominum proborum frequenter non nisi  
apparens est, sæpè in solis consistens sen-  
sibus, nec ad cor usque penetrat: dum pars  
inferior agitur, turbaturque, superior  
tranquilla pace fruitur. Homini probò  
deliciæ, & amici sui eripi possunt, Deus  
verò eripi ei non potest. Atque hujus bo-  
ni

ni

Iuuius,

ni possessio præponderat omnibus malis, quæ ipsi contingere possunt. Is Deum suum possidet; hoc bonum omnium ei bonorum est loco: ejusque pacem tuetur in medijs perturbationum causis, quæ ei se offerunt; nec eum, nisi exteriùs affligunt; ad interiora verò non pertingunt. Denique tristitia hominum proborum brevis est; & cum vita fortietur finem; adeoque ejus terminus haud procul abest. Et hæc tristitia apparens, & brevis gaudio, & pace immutabili, æternaque commutabitur. estne hæc injusta partitio? habentne homines probi conquerendi rationem, etiam, si hæc vita spectetur?

*Erubescere de querelis, quæ forsitan abripi te passus es, considerata malorum prosperitate, vel ærumnis, quas divina providentia obvenire tibi permisit. An non summopere injustus es, dum injustitiæ accusas Deum?*

Mundus gaudebit; vos verò contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joan. 16. 20.*

Christianorum est, pati mala temporalia, & sperare bona sempiterna. *Aug. Serm. 100.*